

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 2. Modus visitandi quotidie augustissimum Sacramentum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

**S. II. Modus visitandi quotidiè augustissimum
Sacramentum.**

NUllum efficacius instrumentum ad perfectionem & unionem cum Deo, quam crebra per diem Salvatoris nostri Jesu Christi in augustissimo Eucharistiae Sacramento latentis visitatio. Praxis autem hujus nobilissimi exercitii his ferè monitis continetur.

I. Eundo ad templum considera & admirare incomprehensibilem Dei amorem erga te; non enim satis illi fuit sub speciebus Sacramentalibus suum tibi corpus & sanguinem, ipsamque divinitatem tam mirabili dignatione largiri; sed jugiter etiam usque ad consummationem sæculi in Ecclesiis assertari voluit, ut in omni necessitate certissimum subsidium, in omni tribulatione tutissimum perfugium, in omni rerum eventu præsentissimum consilium in promptu haberes, ejusque præsenzia, quantum viatori licet, perfruereris. Cuni novis igitur divinæ gratiæ auxiliis semper indigeas ad evitanda peccata, superandas tentationes, & virtutes exercendas, quid optatus tibi contingere potuit, quam apertum accessum ad eum jugiter habere, qui solus potest te adjuvare, erudire, & consolari? Si Rex, vel Princeps magnæ potentia regia sua civitate ad exiguum oppidulum accederet, ut tibi vilissimo homini benefaceret, nonne ipsi continuo assisteres summa cum reverentia, amore, & gratitudine? Nunc autem Rex Regum, & Dominus dominantium ab excelsis cœlorum habitaculo descendens, velatis radiis majestatis suæ, in exigua pixide latere voluit ob inenarrabilem erga te amoris excessum: quam detestabile ingratia animi vitium foret, non eum inflammatis amoris & reverentia affectibus aliquoties saltem in die visitare, & tam insignem benignitatem contemnere? Quis amicus non libenter cum amico versatur? Quis filius in suis necessitatibus non confugit ad patrem cum summa alacritate, & fiducia? Quæ sponsa non frequentissimè cum sponso mo-

fatur? Hic autem amicus, & pater, & sponsus est animæ tuæ, fons gratiarum, & omnium bonorum thesaurus inexhaustus. Accede ad eum, & vide, & gusta, quām suavis est, & delectabitur in crassitudine anima tua, dabitque tibi petitiones cordis tui.

ii. His, & aliis hujusmodi considerationibus incitatus ingredere in domum Dei usque ad locum Tabernaculi admirabilis, & confusione tui plenus, Christi præsentiam viva fide apprehende, ipsumque adora in spiritu humilitatis, & animo contrito; ipse enim optimè novit quid sit in te, & quia nihil es; & ideo hoc recognosce & fatere coram eo. Ipse scit omnia beneficia tibi collata, pro quibus gratias age. Ipse videt omnia peccata tua, & malas inclinationes, quas recense in conspectu ejus, & veniam pete. Puta te Christum audire exprobantem tibi ingratitudinem, & duritatem cordis, teque dignum omni malo pronunciantem in hac, & futura vita. Approba hoc judicium Christi, & tanquam executor ejus sententiæ, priva te omni bono, & paratum offer ad omnem infamiam, ignominiam, tribulationem, ægritudinem, pœnalitatem, derelictionem, & mortem. Denique excita desiderium Deo ferventius serviendi, propone emendationem, & gratiam pete ad tui innovationem necessariam, atque ita te compone, ut illi placeas.

iii. Ad evitandum tedium, quod in ejusdem exercitiï frequenti repetitione subrepere solet, varia tibi motiva propones, propter quæ venerabile Sacramentum visitabis, quæ mutare subinde poteris, nunc unum, nunc alterum assumendo. Fines autem, seu motiva hæc sunt. Ut ipsum adores, glorifices, admireris: ut offeras ei te ipsum, & omnia, ut ei gratias agas, ut indigentias tuas eidem exponas, & remedia postules: ut fruaris ejus præsentia, teque cum ipso unias & communices spiritualiter.

iv. Accede ad ipsum eodem spiritu & aviditate;

G iiij

qua pauper ad divitem liberalem , esuriens ad convivium , sitibundus ad fontem , discipulus ad magistrum , filius ad patrem , æger ad medicum . Sit devotus affectus tuus , & fervens ; cumque corporaliter ad Ecclesiam ire ne quis justa de causa præpeditus , imitare Danielem , & tres pueros , teque ad templum converte , & preces tuas eō dirige , ac si præsens adesses , & vacuis non redibis .

v. Cum aridus es , & mentaliter orare non potes , psalmum aliquem , vel hymnum , aut canticum recita ad rem accommodatum . Poteris etiam alicujus , vel pluriū virtutum actus exercere modo infra præscribendo : poteris Litanias , aut Orationem Dominicam recitare , vel infra scriptam orationem leges , & in recessu à Christo Domino benedictionem petes , atque ei te ipsum , & omnes , pro quibus orare debes , obnixe commendabis ,

§. III. *Oratio ante sanctissimum Sacramentum.*

Ave dulcissime Jesu , verus Deus , & verus Homo , qui ex voluntate Patris , cooperante Spiritu sancto , te mihi nascens in socium , convescens in edulium , moriens in pretium , regnans in præmium dare dignatus es . Ave , & benedic calamitoso exuli tuo , meque recipe in tui amoris suavissimos amplexus . Avete manus venerabiles pro me cruci affixa ; Avete pedes speciosi pro me clavis confixi . Ave latus divinum pro me lancea vulneratum . Ave mitissimum cor , mei peccatoris indignissimi amore saucium . Ego pulvis & cinis , indignus conspectu tuo ob innumera peccata mea , de quibus doleo , te Dominum meum & Deum meum hic verè præsentem , omnium creaturarum possibili affectu saluto , adoro , laudo , & glorifico ; & ab omnibus amari , laudari , & glorificari desidero in æternum , & ultra . Offero tibi , Domine , in perpetuum holocaustum voluntatem meam , arborem tuam , ut nec bona velle liceat mihi , nisi tu id per superiores significes . Quid enim scit puer tuus , benignissime Pater , quid expediatur sibi , quam viam teneat cœcus